



Notes du mont Royal

WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM



Cette œuvre est hébergée sur «*Notes du mont Royal*» dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES
Google Livres

HESIODI

ASCRAEI

POEMA, DE CLYPEO

Herculis,

IO ANNE RAMO

Goesano interprete.

• L O V A N I I,

Apud Martinum Rotarium
Bibliopolam Iurat,

M. D. LIII.

Cum Privilegio Cæ. Ma.

401

CLARISSIMO

VIRO IACOBO SVSIO

Ziriceo

Ioannes Ramus, S.



Vm Græcæ linguę profes-
sor Hesiodi Clypeū in scho-
lis suis prælegeret, quem
ego apud me carmine trās-
latum habebā, non potui
quin eruditorū quorūdam
hominum consilio me vinci permetterem,
qui plurimum à me contendebant, vt no-
stram translationem in gratiam auditorū
Typographo darem imprimendam. Quod
& si nō sine magno nominis mei periculo
factum iri intelligerem, tamen quia amici
erant qui hortabantur, & nostram versio-
nē animo, vt videbatur, minimè simulato
probabant, nihil dubitavi qualemcunque
vulgi de mea audacia opinionem incurre-
re, dūmodo Græcæ linguę studiosis viderē
aliqua saltē parte nostrū officium studiūq;
profuturum. Quia tamen verisimile erat
in ipsa transferendi festinatione multa me
fugisse, quę non satis cōmodè latina inter-

A ij

preta-

pretatione tetigissem : operæ precium mihi facturus videbar si ea tuæ censuræ iudicioque committerem, quem sciebam, æquè esse in vtriusque linguæ professione exercitatum, & in iudicando oculatissimū, atq; adeo optimum fore iudicem, quem vt te mihi præbeas, & si propter priuatas res tuas honeste à te reijcere possis, plurimū tamen velim vt hoc onus suscipias, tum propter alia, tum præcipuè vt nostra translatio, quæ multis locis fortasse nimis iners ac supina est, quàm emendatissima ad auditores Græcæ linguæ perueniat. Quod si facies, & nostrū opusculum aliquo patrocinio & fauore dignū iudicabis, nihil alienum à tuis moribus facies, vt qui præter opes (quas fortuna largissime in te effudit) cū summa humanitate summā eruditionē & pietatem coniunxeris. Vale Susie clarissime tuumque Ramum pro contracta olim inter nos amicitia complectere.

Louanij 10. Cal. Apriles, Anno 1553.

HESIODI ASCRAEI POEMA, DE Clypeo Herculis



*Vm natale solum patriosque
Alcmena pœnates
Liqueret, & profugum se-
queretur nupta maritū
Thebanos versus fines, genus
omne uerendum*

*Exortū a
cōmēdatione
ne Alcme-
na, quæ Am-
phitrionem
patris sui
interfecto-
rē Thebæ
secuta est.*

*Fœminei sexus formæ superabat honore,
Atque omnes animi uincebat dotibus, atque
Illius in uultu quiddam castoq; nitebat
Vertice, quale ferè Veneris niter aurea circum.
Tempora: deinde uirum quantum uix ulla colebat
Inter quotquot habent mortalia pectora matres.
Qui licet infauſta genitorem cæde tulisset
Illius, illa animum tenuit tamen usque priorem,
Nec uertit quondam quos illi iunxerat ignes.
Quinimo patria postquàm tellure relicta
Versus Agenoreos fines, Cadmiq; superbum
Imperio populum supplex gentemq; petisset,
Illa secuta domos coniunx habitauit easdem.
Non tamen amplexu prius est dignata maritum*

*Exemplum
constantissi-
mi amoris
coniugum
inter se*

H E S I O D I

In thalamumq; admisit, agros quàm uerteret ultor

Otcasto bel
li inter Am
phitruonem
& Taphios

Hostiles, flammâq; urbes à stirpe ruiſſet.

Teleboum Taphiumq;, olim qui fortia ferro

Demisere neci magnorum corpora fratrum.

Quippe hoc facturum se protestantibus olim

Promisit superis, quibus hic si uerba dedisset

Illorum ultrices dextras irasq; timebat.

Ergo opus aggreditur promissaq; bella capeſſit.

Catalogus
eorum qui
Amphitruo
nis partes
ſecuti ſunt.

Cui mox ſe comites equitum genus acre ruentum

Bœoti adiungunt, belli pugnaq; furentes

Ardore, & clypeos docti uerſare trilices.

Et locri breuib; pugnantes cominus armis.

Queis ſeſe inuicti bello quoque Phocides addunt.

Tales Amphitruo populos & talia bello

Pectora, Teleboas Taphiosq; aſſumit in hoſtes.

Iuppiter interea genitor diuumq; hominumq;

Præcipue hanc imo uerſabat pectore curam:

Vt diuis aliquem ſubito & mortalibus ægris

Rerum aſſertorem faceret, belliq; miniſtrum.

Quæ mox cum certa ſtaret ſententia mente,

Vritur Alcmenæ formosæ uirginis igne,

Iuppiter oc
cupato fo:
ris Amphi:
truone Alc
mena poſi:
tur.

Inq; Typhaonium uenit nocturnus Olympo.

Phicion inde petit, partes ubi raptus in omnes

Se tandem optatis deſunctus amoribus explet.

Quaq; thoro Alcmenæ ſe nocte immiſcuit, illa

Amph y-

C L Y P E V S.

*Amphytruo partis inimica ab gente trophæis
Nocte domum redijt, nihil & cunctatus eosdem;
Dilectæ ingreditur thalamos uxoris, amore
Illius accensus caprusq; libidine formæ.*

*Afflictam ut rerum quisque euitare malarum Cōparatio.
Contendit summam, morbosq; & uincula retro
Si qua fata sinant post terga relinquere certat.
Sic belli Amphytruo motus finire, domumq;
Festinabat iter, castis ut amoribus inde
Coniugis Alcmenæ posset thalamoq; potiri,
Ac tandem addictis quibus arserat ignibus uti.*

*Sic Alcmena Deo permixta uiroq; gemellos Alcmena
Edidit, hunc omni prorsus uirtute carentem, ex Ioue Her
Ast illum rebus bello seu pace gerendis culē, ex Am
Constantem, sæuum, fortē, ualidumq;, grauemq;, phi. Iphiclē
E Ioue quē peperit: sed Iphiclea ab Amphytruo sustulit.*

*Eq; Ioue, ut dixi, superūmq; hominumq; parente
Sustulit Alciden, natum qui Martis, & ipsum
Elato extinxit turgentem pectore Cygnum.*

*Quem fortē in Phœbi luco cū Marte uagantē Hercules
Inuenit, pugnae cædisq; libidine plenum, Cygnum
Et uarijs utrosq; armis ferroque micantes, Martis
Quorum pulsabant terram commota uolatu liū intore
Corpora magnorum æripedum, plaustriq; uolatu fecit.*

Corpora magnorum æripedum, plaustriq; uolatu

A. iij Puluis

H E S I O D I

Pulvis ab illorum pedibus densissimus ibat
 Obscura impediens totum caligine cœlum.
 Et magni currus radij, chalibœaq; uincla
 Ingeniem edebant sonitum, lætusq; præmebat
 Spes animo uanas Cygnus, quod utroq; perempto
 Auriga atque Iouis nato spolia ampla referret.
 Verum his euentum spebus Cyrrhæus Apollo
 Abnuuit, atque aures uotis occlusit, & auctum
 Viribus Alciden geminos instruxit in hostes,
 Quorū enses galeaq; nemus per Apollinis omne
 Fulsere, & multo complerunt lumine syluam,
 Visaq; nescio quid penitus commota minari
 Luminaq; uultusq; Dei, totoq; moueri
 Pectore, & insanis facies efferuere flammis.
 Nescio quis tantis queat hostibus obuius esse
 Alcides si non possit uiridisq; Iolaus:
 Quis magnæ uires, quibus & sunt fortia bello
 Pectora, nec segnes ad martia prælia dextræ.

Hercules
 Iolao nepo
 uel ex fratre

Tum sic Alcides Iolaum affatur & inquit.
 Nescis quàm superos olim diuosq; potentes
 Læserit Amphyrro, tūc cū sacra mœnia Thebes
 (Tirynibum fugiens) & Agenoris arua petiuit
 Ob cæsi inuidiam soceri: supplexq; Creonti
 Factus & Heniochæ, profugū qui sedibus amplis
 Dignati, ornarunt donis rerumq; dederunt

Quantum,

C L Y P E V S.

Quantum supplicibus satis hospitioq; receptis.
 Sicq; ibi foelicem chara cum coniuge uitam
 Tranquillosq; dies egit, nondumq; peracto
 Finierat cursum Titan reuolubilis anno,
 Ecce tuus mecum genitor mox nascimur, atque
 Prodimus gemini fratres moresq; animumq;
 Dissimiles, alter penitus sine mente, soloq;
 Iamolim patrio (sic diuoluere) relicto
 Euristhæa miser non una cede tyrannum
 Infamem sequitur, scelerum nisi forte pudore
 Degeneres animos & inertia pectora uereit.
 Nec quoq; me immunẽ patitur Deus esse, laboresq;
 Accumulans immittit & ingentes ærummas.

Arrige nunc age equos phaleris auroq; superbos, Iolane auriga Hercul.
 Atque axes fidens animi currusq; gubernas,
 Nil uanos Martis strepitus, nihil arma moratus.

Qui Phœbi in longum iaculantis tela, uagatur ἱερατὴ βα
 Per nemus, armorum cupidus requiemq; perosus. ἀέτω
 Cui licet in uasto magnæ sint corpore uires,
 Nō tamẽ hinc nostro mihi uulnere fractus abibit.

Quem contra auriga est tali sermone locutus. Iolane Hercul.
 Heu quantis auxit te Rex hominumq; Deumq;
 Laudibus, & pelagi rector Neptunus in arce
 Qui tenet imperium Thebarum, urbemq; tuetur,
 Quod tibi tam clara celebrem uirtute domandum

Obitu-

H E S I O D I

Obtulerint hostem, quem si superaueris armis,
 Nostris perpetuò notus memorabere fastis.
 Fortia sume igitur, quibus omnia concutis, arma.
 Ut subito coeant iunganturq; axibus axes
 Et nostri & Martis, cuius nec adire feroces
 Detrectamus equos, nec ad arma uenire mora.
 Quinimo infestis in se cū surgere signis (mur.
 Amphitruone satos gladijsq; instare uidebunt
 Perculsi fugient, nec ad incita tela resistent.

Hercules
 Iolao.

Dixit: & Alcides arrisit ad ista nepotis
 E tam constanti uenientia pectore uerba,
 Affatusq; illum uolucris sermone uicissim
 En Iolae, inquit, supremi cura Tonantis
 Intentanda mihi mox arma ensesq; propinquant,
 Tu si quando aliàs, modo uiribus utere, iamque

Arion equus
 Herculis.

Omnes expedias trepidantis Arionis artes,
 Ut iuuet in partem nunc hāc, nunc uersus in illā.

Hercules
 ad pugnam
 instruitur.

Sic fatus subito robustis cruribus aptat
 Aëre renidentes ocreas, argentea circum
 Vincula sortitas, thoracem deinde coruscis
 Sydereum flammis uarioq; colore micantem
 Induit, hunc illi Pallas florentibus annis
 Anceps cū primum belli discrimen adiret
 Obtulerat, colloq; enssem suspendit eburnū. (rū
 Deinde humero accingit pharetrā, cui tinctile fer

Et

C L Y P E V S.

Et tela occultis inerant imbuta uenenis.

*Tela uenā
no imbuta*

Vnde mouerentur lacrymæ gemitusq; cadetum,

Tela polita tamen uariisq; operosa figuris

Ac de more nigris uestita in cuspide pennis,

Missæ quibus celerem raperet per inane uolatum.

Tum iaculum capit oblongum ferroq; timendum

Præfixo, capitiq; aptat quàm ferre solebat

Terribilem cristis galeam, multoque rigentem

Circumquaque auro, qua protinus omnia posset

Alcides belli pugnando pericla morari.

Tum manibus Clypeū ingentē, uariūq; leuauit,

In quem nullæ unquàm missæ ualuere sagittæ,

Plurimæque illæsus qui tela ensesque reiecit,

Quique ebore & uario passim spectabilis auro

Electroque nitet, cuiusq; uolumina gypso

Purpureas inter fulgescunt cærule Zonas.

In medio spiris tortus Draco, fronte reflexa,

Luminibusq; iacet multo igne rubentibus, & cui

Tergemino fauces inter stant ordine dentes

Magni terribiles, uultū cuiq; improba adumbrat

Spargere bellorum causas consueta ferox Lis.

Inq; stuporem animos & deficientiā uertit

Pectora, in Alciden stringentem tela uirorum,

Et stygijs uitam morientum destinat umbris,

Mandat & æstiuo torrenda cadauera Phæbo.

*Clypei Her-
culis elegā-
tissima &
admirabilis
descriptio.*

*Homines
uel solo a
spectu uiu
monstri ena-
cabantur.*

Hic

HESIODI

ὑποτίθεται

πρωτῆς

ακέρριμης
pugnae.

Hic etiam diræ signa atrocissima pugnae,

Inq; fugam uersos alios aliosq; sequentes

Strage data uideas, multosq; hinc inde tumultus,

Quos Eris adiuncto simul incitat improba Fato.

Inueniesq; alios multo cum sanguine mistam

Vitam exhalantes, alios in uulnera pronos

Deficere, & uitam uix ducere, uulneris illum

Expertem, hunc caesum pedibus per tota reuinctis

Castra rapi, iamq; arma uirum, iam corpora multa

Cæde cruentari, & fluere atro sanguine uestes.

Sena bis hos iuxta stridentum colla Draconum

Impetum in aduersos hostes factura uidentur,

Qui contra Alciden ueniunt, aut arma minantur.

Hocq; magis inter se stridunt dentibus, idem

Quo magis Alcides profuso sanguine pugnat.

Quorum terga notis maculisq; aspersa uideres,

Collaq; non uno passim uariata colore.

Leonum &
suum inter
se certantē

Haud procul inde Sues implacatiq; Leones

Aduersi occurrunt oculis crudele tuentes,

Et uelut hinc atq; hinc certamina magna daturi,

Utrinque expediunt acies, pars uiribus altram

Neutra reformidans interrita fertur in hostem.

Primus & exiliens apris leo fata duobus

Intulit, atque horum quem membra dedere cruorē

Concretum gremio terra officiosa recepit.

Tam

C L Y P E V S.

Tam lætum pugnae auspiciū clamore secuti
Excipiunt comites, & ad incita bella feruntur.

Inde sub his duri Lapithæ ualidiq; Gigantes Pugna Las
pitbarū cū
Cētauris in
nuptijs Pto
riboi.
Instituunt aciem Cæneus fortisq; Dryanteus
Hoplus, Piritho^o, Mopsus, Phalerus Prolochusq;
Exadius, necnon pugnax Titaresius, atque
Theseus Ægides fama immortalibus æquus.

Insignes auro iuuenes, insignia quiq;
Arma humeros circum gestāt & pectora circum.
Nubigenæ ex alia Centauri parte superbo
Aduersi occurrunt certatim milite, primi
Ante alios augur Petreus & Asbolus augur,
Hurius atq; Arctus, Dryalus, Perimedes & ambo
Paucaidæ, uiridiq; Mimas spectabilis æuo.

Conspicui argēto iuuenes gemmisq; corusci
Sidereis, dextra truncos & robora uibrant,
Credideris uiuos, ita cominus arma uidentur
Stringere, & infestis clypeis hastisq; minari.

Posthæc alipedes gradiui ipsumq; uideres
Intentum prædæ Martem spolijsq; superbum,
Et longum manibus duris hastile tenentem,
Atque indignanti similem madidumq; cruore.

Quem socij toto cupientes pectore bellum
Circunstāt Pauor atq; Metus, præssimq; sequuntur Pauor &
metus min
stri Martis
Quos parua Ioue nata urget discrimine Pallas,

Tristia

H E S I O D I

Tristia terribili uolvens certamina uultu,
Et gladium manibus galeamq; in uertice fulcam
Horrendum quatiens, clypeoq; animosa se uero
Infert se mediam spumanti sanguine pugnae.

Deorum cō
cilium.

Hic quoq; Coelicolae cuncti super aurea coeli
Tecta sedent taciti, medius quos inter Apollo
Auratam arguto citharam modulamine pulsat
Sacra ubi diuorum sedes & plurima fului,
Circumfusa iacet uis innumerabilis auri.
Blandulaq; inceptant uocales carmina Musae
Nil quicquam absimiles uiuis mollesq; Deorum
Aures, sublata cantantes uoce morantur.

Portus ima
ga.

Et portum indomiti maris hic, littusq; uideres
Aequoreum, solido fabricatum ex aere, tumensq;
Ut solet iratis exurgere fluctibus aequor.
Errantesq; etiam Delphinas in aequore cernas,
Huc uiuis similes similesq; natantibus illuc
Quos inter geminos meritò admireris euntes
Multo prae caeteris auro argentoq; coruscas
Aequora qui uerrunt caudis aestumq; natando
Exuperant, pauidos captantq; per aequora pisces
Pronus & excelsa ripae piscator in ora
Explicat in pelagus iactandum rete, tenetq;
Haud aliter quam si mox submissurus in undas.
Inde sub his Danaes formosae Persea natum
Pendentem

C L Y P E V S.

Pendentetem uideas, nullaq; ex parte, nec usquam
 Haerentem clypeo, nec ab illius orbe uagantem
 Longius, insolita monstrum nouitate stupendum.
 Quod faber ignipotens miranda ita finxerat arte.
 Aurea cuius erant circum talaria plantas,
 Quiq; enssem ex humeris, humeros redimicula cir-
 Vaginamq; nigro uestitā adamanie gerebat, (cū
 Et tam secreta clypeum super arte uolabat,
 Ut non esse illum, sed imaginis illius umbras
 Quilibet esse putet, quem Gorgonis ora Medusæ
 Atergo auratis includunt undique bullis.
 Atque Orci galea niueum uelante capillum
 Ex oculis fugiens umbræ noctisq; ruentis.
 Cingitur insidijs, gressusq; effingit euntis.
 Cui tres incumbunt cursu post terga sorores
 Præcipites, fratremq; petunt gemituq; lacessunt.
 Vasta sub hoc resonāt certamine marmora, datq;
 Ingentem clypei latera omnia quassa fragorem;
 Pondus id hos gemitus adamantina Zona deinceps
 Excipit, in qua insunt squammosi terga Dracones
 Cærulei, magni, immanes qui subila lambunt
 Porrecti ad iugulum linguis uibrantibus ora.

Perseus.
 Sic Virg. de
 Camilla, q.
 sic per se ge
 tes ambula
 bat, ut eas
 non attin
 geret.

Perseus in
 terfectus Me
 dusa fugi
 Orci galea
 inui sibilem
 se fecit.
 Orci galea
 Prouerb.

Zona superueniens maioribus incita turbis
 Horret pugnantum fremitu concussa, ruuntq;
 Binæ utrinque acies populorumq; arma duorum

simile est
 apud Hom.
 Iliad. 2,

Illinc

HESIODI

Illinc pro patria charisq; parentibus, illinc
 Urbis in exitium pugnatur, utrinque ruentum
 Pars telis oppressa iacet, pars agmine facto
 Dimicat, & uarijs pars sustinet artibus hostem.
 Turribus è celsis matres trepidæq; puellæ
 Acclamant, lachrymisq; genas & mœsta rigantes
 Lumina, dissimiles uiuis nihil esse putares.
 Ipsaq; tarda gelu uiuendoq; lassæ senectus,
 Erumpit magno suspirans agmine portis.
 Intentisq; deos precibus manibusq; supinis
 Inuocat, ut reduces habeant sine sanguine natos.

Interea hos inter miserando funere campus
 Fervet, & effuso restagnat gurgite sanguis.
 Quo subito accurrunt facto simul agmine Porcæ
 Toruæ, terribiles, & humi prostrata sequuntur
 Corpora, seminecesq; uiros tepidumq; recenti
 Cæde locum, & calido spumantes sanguine riuos,
 Spirantesque artus & adhuc uiuentia carpunt
 Membra uirum, mæstas Erebi mittuntq; sub umbras,
 Ac saturæ exhaustis epoto sanguine uenis,
 Exanime abijciunt retro post terga cadauer,
 Et uersæ repetunt stragem pugnamq; reuisunt.

Illinc mox sequitur Clotho Lachesisq; sororq;
 Atropos, haud equidē magno dea corpore, uerum
 Quæ reliquas inter plus maiestatis habere

Cernitur

Porcæ car
 niuora tris
 stitiâ cladis
 augent.

Tres Pars
 ec.

C L Y P E V S.

Cernitur & canis esse excellentior annis,
 Quæ male concordēs partæ pro corpore prædæ,
 Inter se iratæ rixis & torua tuentes
 Inijciunt manibûsq; manus atq; unguibus unguēs.

Pallida pone subit Caligo, perusta gravisq; Caligo dea;
 Crassa genu, & succo vitali exhausta, cuiq;
 Porrecta in longos manus utraq; desinit unguēs:
 Et cū perpetuū mucus sedet ore, genisq;
 Fundit humi largo manantem sanguine riuum,
 Et terram tabo maculat, faciēque pedēsque
 Horrendis totum corpus conspersa fauillis.

Quam iuxta celsæ stare urbis mœnia cernas,
 Mœnia septenis distincta ex ordine portis.
 Insignesq; auro turres, ubi plurima luxu
 Turba strepit, choreis & plebs genialibus omnis Nuptiæ de
triumphi.
 Curuli assultat sellæ qua nympha marito
 Ducitur, ingenti circumstipante caterua.
 Et facibus lætis urbs tota accensa coruscat,
 Tectaq; collucent hymeneia festa parantum
 Atque diem festis tædis flammisq; morantum,
 Pone sequi cultas videas longo agmine matres
 Atq; choros, aliter tamen atq; aliter, chorus auras
 Percurrens uario citharam modulamine complet:
 Ast illæ ad numeros & ad incita carmina saltāt.
 Parte alia lectis dapibus mensisq; procaces

B

Indul

H E S I O D I

Indulgent iuvenes quorum genialia læto
 Carmine & audaci resonant conuiuia luxu.
 Inter quos alij non læuo numine carmen
 Excipiunt, alij saltuq; chorisq; rotati
 Effundunt animos hilares, atque omnia passim
 Lætitiaq; iocisq; strepunt plausuq; resultant.

Multus & ante urbem feruet cōcursus, equisq;
 Exercetur agens uliro, citroq; iuuentus.

Rustici la-
 bore.

Nonnulli breuibus culti ornatiq; lacernis,
 Fœcundam curuo proscindunt uomere terram,
 Quæ simul ac scissa est, segetem mox edit, eamq;
 Sedulus intenta messor metit undiq; falce.
 Hordea pone legunt iuuenes demessa, deinde
 In uacuis condunt Cerealia munera cellis.

Vindemiæ
 imago pul-
 cherrima.

Parte legunt alia maturas falcibus uuas
 Agricolaë, has alij calathis & uimine texto
 Excipiuntq; feruntq; humeris, penitusq; racemis
 Exonerant auro uitem argentiq; superbam,
 Quam diuim rara faber usq; ita finxerat arte:
 Aurifera ueluti concussam fronde, grauemq;
 Pampineis folijs, & quam pulcherrimus auro
 Argentoq; pedamentorum sustinet ordo.
 Omnis ubi ad citharam salio incita turba, feruntq;
 Hi nigras calathis uuas calcantiq; uicissim.
 Sunt alij qui uina cadis depromere, quiq;

Exonerare

C L Y P E U S.

Exonerare lacus & praela undantia certant,
Inq; uices alij pugnis rixisq; citantur,
Vestigantq; feras alij, leporesq; fugaces
Insectantur, ad hæc duo corpora magna latrantum

Venationis
imago.

Vndiq; sollicitis ceruos clamoribus urgent:

Ast alij fugiunt celeres, cursuq; salutem

Prata per & sylvas atq; inuia lustra sequuntur.

Curuli cer
tamine aus
rige coeunt

Parte equites alia biyugo certamine campum

Corripiuntq; ruuntq; effusi carcere currus

Aduersis spacijs, pendentq; in uerbera proni

Aurigæ, dant lora, uolant ui feruida circum

Plaustrachoros, radijsq; fremunt, lapsuq; rotarum

Impulsi validam titubant, queruliq; feruntur:

Quos inter dubio certaminis alea Marte

Pendet, & alterius sese offert uiribus alter,

Victor ut ex ista qui pugna excederet, atro

Fulgentem caperet tripodem, quæ claudus in antro

Mulciber extuderat uaria & fabrefecerat arte.

Oceanus totam clypei circumluit oram

Oceanus
clypei mar
gines clau
dit.

In quo, si uideas, pisces quoq; uiuere credas:

Quem supra Cygni quiddam lugubre sonantes

Pendent, ast ipso pleriq; in gurgite nantes

Aethera permiscunt cantu & garritibus undas.

Tam multa attonitus miratur imaginis aurum

Iuppiter, ad cuius mandata precesq; stupendum

B ij

Vulcanus

HESIODI

Vulcanus mira clypeum compegerat arte?
 Quem Ioue patre satus dextralibrare uirili
 Ante alios poterat, nec erant graua arma ferēti.
 His ita munitus currum superinsilit armis,
 Haud aliter radiās quā si mera fulmina cernas.
 Et plaustro inuehitur leuiter, rectorq; Iolaus
 Dirigit eripedum incessum currumq; gubernat:
 Cum subita placidum sese dea numen in orbem
 Extulit humana facie Tritonia, et ipsas
 Talibus aggreditur uerbis sicq; orsa profatur.

Minerua
 currū Her-
 culis ascen-
 dit.

Vos o Lincaea geniti de stirpe nepotes,
 Huc agite, et monitis aures aduertite nostris,
 Adjiciet uobis uires Deus ut spolia ampla
 De Cygni clara uictores cæde feratis.
 Hoc tamen hoc animo teneas Alcide. repostum,
 Cum primum Cygni uitam tuus hauserit ensis,
 Linque, nec attingas quacunque excussa iacebunt
 Arma, sed intentos oculos aduerte Gradivo.
 Exuias cuius nulli spoliare liceret.
 Et si forte latus clypeo nudauerit, basta
 Mulnera agens celeri retrōq; in tuta recede.

Minerua
 Herculi
 Iolaus.

Sic ait, et uolucres scandit Tritonia curru,
 Aeternam portans famam nomenq; subactō
 Victurum Cygno, flagris auriga citatis
 Admonet eripedes, illiq; agitare sonantes

Incipiunt

C L Y P E V S.

Incipiunt axes uolucrisq; insurgere cursu,
 Diua quibus uires quassa dedit Ægide Pallas,
 Imaque concrepuit tellus percussa uolantum
 Cornipedū pedibus, cū plaustra hinc rollere et il-
 Alcides, Cygnus Marsq; insatiabilis armis (hinc cōparatio)
 Aduersi cœpere: uel ut sonat æta procellis
 Vnda, uel ut subitis interionat ignibus æther.
 Sic isti stadium iuncti uenere sub unum,
 Vnoq; aurigæ cursu iunxere iugales.
 Et mixti impletunt crebris hinnitibus auras,
 Moxq; propinquantem dictis ingressus acerbis
 Alcides Cygnum. Quid equis curruq; uolanti Hæc uolens
 Intercludis iter, cur nos remoraris euntes? Cygnus
 Quos scis pugnandi gnaros belliq; peritos.
 Quare hinc uerte axes atq; interiecta uicem
 Septa aperi, ut liceat Trachini ad splēdida Regis
 Mœnia ferre gradum, qui seruantissimus æqui
 Mortales inter Ceyx cognomine regnat.
 Et qui te generum legit propriamq; dicant
 Consortem thalami natam tibi, cede proinde,
 Cede patefcat iter, mihi uel dabis improbe pœnas
 Nam si mecum armis tentes decernere, non te
 Eripiet fœta genitor Mars, cuius et olim
 Succubuit nostræ uis formidabilis hastæ,
 Cum miser ante Pydus pugnandi raptus amore

Receset su-
 um cū Mars
 te certantē

H E S I O D I

*In me torfit agens quantum furor ipse monebat
Iratu*s* iaculum, contraq*ue* ego nostra retorsi
Illius in corpus uolentis uiribus arma.*

*Ter clypeo excepit iactus, ter pronus in armis
Procidit, & terram resupino uertice textit.
Mox alio ingressus telo clypeumq*ue* recidi,
Transfixiq*ue* femur medium, quo uulnere fractus
Concidit, inq*ue* putrem subito prostratus arenam
Cum sonitu incubuit, spolijsq*ue* exutus, ab alio
Plurima Dijs superis post pugnam fabula factus.*

*Sic ait Alcides: cuius nil uerba moratus
Gaudet equis Cygnus nimium confisus, & ultro
In terram prior hinc exultabundus & illinc
Desilit Alcides: sonitum dedit æthere tellus
Tam ualida percussa pedum gravitate, caballos
Aurigæ impulerant propius flagrisq*ue* citabant,
Cum gemini heroes cupidis in mutua dextris
Arma ferebantur. Veluti de uertice rupes
Vi torrentis aquæ per saxa per ardua montis
Præcipitant, ualidoq*ue* trahunt secum omnia lapsu
Strage data nemorum, quercus fractasq*ue* sub ipso
Eripiunt alnos casu piceasq*ue* uirentes,
Dum subiecta petant montis, campiq*ue* iacentem
Planitiem: talis committebatur ab illo
Campestri sonitus certamine, tamq*ue* propinqua*

Moenia

*Cōparatio
Homero fre
quens.*

C L Y P E V S.

*Moenia Mirmidonū celebrisq; Anthææt Iolcus Hyperbolæ
Atque Helice cōcussa dabant Arneq; fragorem.
Cum mixti diris utring; ululatibus auras
Pugnantes implent, clari moderator Olympi
Intonuit læuum omnipotens summoq; cruentas
In gremium terræ profudit ab æthere guttas,
Dilecti faciens in honorem talia nati.*

*Hæc Iones
ro & Vir.
scilicet sta
gnū clades*

Cōgratiq;

*Qualis aper medijs habitās in uallibus ingens
Aspectuq; ferox toruum & crudele tuetur,
Incitus, inq; canes uenatoresq; cruentos
Horrendum cursu bellum molitur, & acres
Hostibus inuendit pugnans infligere dentes,
Et tetrum offensus calido uomit ore cruorem,
Fulmineosq; oculos, aciemq; in fronte minacem
Huc illūcque rotat dubius uultūque seuerat:
Desilit haud aliter curru Ioue natus ab alto
Tempore quo uirides modulatricēsq; cicadæ
Ramorū assuetæ folijs petulanter inerrant,
Et matutinos per pingua gramina rores
Nocte abeunte legūt, ut cum iam Phœbus apertū
Lustrarit mundi seriem, sua fundere plena
Carmina uoce queant: cumq; omnis pullulat arbor,
Et circumplectens segetem pubescit arista,
Ac Phœbus uerno uites oppalliat æstu.*

*Veris des
scriptiores
accidentiaq;*

Author lætitiæ Bacchus quibus eximit omnes

H E S I O D I

Solliciti curas animi mentemq; leuassit.

Inter se heroes hac tempestate ciebant

Arma auidi, pariterq; animis in bella feroces

Certa ferebantur: Raptorum more Leonum

Qui magna extincti pro corpore praelia cerui,

Horrendo miscent sonitu, cœlumq; fatigant.

*Cōparatio
Homérica.*

Ceu ueluti gemini rostris in rupe cruentis,

Vulturij pugnant, cœlum clangore petentes

Si quem forte uident loca per syluestria ceruum

Cornibus horredum, capreamq; per alta fugacem,

Quam telo fixit nemora inter densa uiator,

Quiq; loci ignarus ferrumq; uolatile liquens

Nec prædam insequitur, nec uestigare laborat,

Quam iuga delapsæ uolucres uix crura trahentem,

Arripiunt: hi sic heroes cominus armis

Congressi ualidis impellunt uocibus auras.

*Cygni cum
Hercule cer
uamen.*

Ac prior Alciden Cygnus consurgit in hostem,

Aggressusq; agitur, Clypeiq; insigne superbi

Percussit feriens hasta, sed in orbe quietum

Telum nequicquam pendens umbone, resedit.

Post etiam Alcides sua tela leuauit in ipsum

Acrius, & Cygni geminis qua partibus hæret

*Cygnus ab
Hercule in
tersecitur.*

Ceruicem tetigit mediam, nexuque reuulsit

Queis galea & clypeus coeunt, qua cæde solutis

Nervorum uindictis, sed adhuc cum murmure lingue

In

C L Y P E V S.

In terram pronus cecidit, ceu uicta securi
Sternitur infando gemitu decidua quercus.

Ac uelut iecta sonat metuendo fulmine cautes,
Sic terræ incubuit, magno simul arma cadentis
Increpuere sono: cumq; expirasset, in ipsum
Extemplo Alcides Martem se uertit, & acres
Gradino intendens oculos crudele tuetur.

Ut leo qui sævis prædam forte unguibus hausit, Comparatio.
Mox in diuersas illam trahit undiq; partes,
Æthereas animam donec diffundat in auras,
Et furit irarum plenus, circumque uolutat
Circa oculos, toruū quiddam offensumq; tuentes:
Hinc cauda atq; illinc humeros & terra flagellās,
Sanguineisq; putrem pedibus conuoluit arenam,
Ut facile aspectum contra uereantur euntes.

Haud alium Alcides Marti sese obtulit, ut qui
Æstuat ingenti pugnae correptus amore.
Ipse quoq; ex alia ueniēs Mars parte propinquat
Alter in alterius stringentes pectora ferrum.

Hercules
cum Marte
congrédi
tur.

Ac uelut excusso resoluta è uertice cautes
Excidit, & longum saltu defertur in orbem

Græcorum
more alios

Dum cadat, & medium feriens in uallibus agmen

H E S I O D I

Sed Iouis Ægiochi soboles ueneranda præibat
 Alciden Ioue patre satum, manibusq; ferebat
 Ægida terrificam densa caligine circum
 Nube superfusa tectam, qua freta superbum
 Ingreditur tali uerborum fulmine Martem.

*Pallas
 Marti.*

Siste Gradiue iras dextramq; quiesce minacē,
 Herculeæ spoliū de cæde merebere nunquam,
 Clara nec eripies nato Iouis arma perempto.
 Quare age discedas aliò conuersus ab armis,
 Ne miscenda mihi quoq; sint noua prælia tecum.

Sic ait, ast nihil his duri indignatio Martis
 Flectitur, exuperat magis ægrescitq; monendo.
 Ingressusq; iterum longe uiolentius hostem
 Si qua fata sinant stygias missurus ad undas,
 Extinctiq; etiam spoliū rapturus, in illum,
 Ergo manus iterum uertit, ferrumq; tetendit
 In clypeum, cuius subito est sine uulnere telum
 Palladis armigeræ dextra auertente repulsum.

Iratus diua Mars auxiliante perisse
 Tam bene conceptū iaculū: rursus obuius enseni
 Arripit, atq; ipsum fertur furibundus in hostem
 Amphitryoniadem: uerum ille interritus omnes

*Mars ab
 Hercule in
 femore uul-
 neratur.*

Excipit incursus, femorisq; ubi uidit apertam
 Nec tectam clypeo confixit arundine partem.
 Ingentem clypeum, magniq; uolumina scui

C L Y P E V S.

Ictū tam uadio media intercīdit, at ille
 Protinus incubuit madidæ superatus arenæ:
 Accurrunt Pavor atq; Metus, dominūq; iacentē
 Excipiunt, tolluntq; solo, corpusq; uolanti
 Imponunt alacres plaustro, sursumq; citatis
 Ad superos portantur equis, & in astra lenātur
 Tum satus Alcmena socio comitante Iolao,
 Exuijs Cygni pariter spolijsq; potiti,
 Ascendere citi currum Trachina petentes
 Mœnia, se Pallas dea non mortalis in astra
 Erigit, & summi petit ardua tecta Tonantis.
 Interea cæso crudeli uulnere nato
 Iusta facit Ceyx, & plebs ea funera passim
 Mœsta sequebatur loca quæ uicina tenebat.
 Mirmidonumq; urbē celebrēq; habitabat Iolcū,
 Et Ceyca urbes Helicēque Arneq; iuuabant
 Horrendum generi funus deflere perempti.
 Cuius & euertit tumulum populator Anaxrus
 Hybernis auctus pluuijs niuibusq; resurgens.
 Hoc Latonæ illi natus mandarat Apollo
 Quod qui pendebant centum Taurilia Delphis
 Annua, crudeli dextra spoliasset adortus

Ceyx Cys
 gno iusto fa
 nebria fœq
 citi

AD PETRVM NANNIVM,
& Iacobum Latomum.

Pannonia uates uos Ramus ab urbe salutat,
Ultima Germano quæ stat in Imperio.
Quamq; Getæ toties Scythicis petière Sagittis,
Et dici Latio more Vienna solet.
Incolumis ualeo, quanquàm uix ista ualere
Quæ uideo ante oculos stare pericla, sinant.
Austria ubiq; armis & aperto Marte patescit,
Dura pharetrato bella mouente Getæ.
Tygris ut in summis furit incüa montibus, utque
Æstuat amisso foeta leæna uiro:
Sic ferus Euxino ducens à littore Thraces,
Turca per Austriacâ Marte uagatur humi.
Cui nisi mox sumptis cum Cæsare uiribus, omnes
Occurrent Latij Teutoniciq; duces:
Cogetur Lybicus Europa subacta Tyrannis,
Barbaricum famulo uertice ferre iugum.
Altera sollicitat nostram formidine mentem,
Altera plus isto causa timenda malo.
Attulit huc nuper cæli contagio sæuam,
Qua nihil in toto est tristius orbe luem.
Quod modo si pergam narrare, uidebitis ardens
Quam prope sit nostrum pestis adorta caput.
Nuper

M. *Nuper ut à cena uinòq; meracius hausto,
Composui placido membra leuanda thoro:
Molliter abruptit cœptam nox atra quietem,
Cum plus aut medium Luna teneret iter.
Inueni attonita plenam formidine mentem,
Atq; thorum lachrymis immaduisse meis.
Iamq; fugax tenebris oculos ludebat imago,
Et terror qualem somnia noctis habent.
Ipsaq; uicinas pestis quæ accenderat ædes,
Altera solliciti causa timoris erat.
Cœperat admonitu tanti mens ægra pericli
Deficere, & subito frigore pectus agi,
Cum subito exilui, non est timor iste fouendus,
Non est hæc, dixi, pestis alenda metu.
Illisusq; silex ferro mihi præstitit ignem,
Et lumen præcepit sumpta lucerna dedit.
Mox quoq; Nasonis ter quinq; uolumina sumpsit
In trepidas, ut erant, flensq; gemensq; manus.
Ecce sub aspectum mihi se liber ille ferebat,
Qui medium à decimo bisq; duobus habet.
Mox furor inuenit meus hic alimenta, dabasq;
Materiam nostris inuide Naso malis.*

*Iamque intus sensi nigrum trahere ossa cruorem,
Et carpi infesto viscera adusta malo.
Ante ea quam magnas caperet contagio vires,
Consultata est medici docta potensque manus.
Qui mox lætali turgentem sanguine uenam,
Illo quem primum repperit ense secat.
Viscera paulatim sensi mea tabe leuari,
Atque ægra ad vires membra redire suas.
Inde sub incidem chartam calamumq; uocaui,
Ista rudi ut uobis carmina Marte darem.
Quos casum nescire nephas communis amici
Credebam, & fati parte carere mei.*

AD IACOBVM LATOMVM
iuniorem, de Psalmis ab eo versis.

H*Ebræi partim diuina poemata uatis
Fecisti in Latios molliter ire pedes.
Fecisti, pergas, diis fortunantibus, in te
Quam mala præcipiti Parca furore cadat,
Aut iusto semper colophone poema carebit,
Et qui perficiat cætera, nullus erit.
Nec tantum assumet quisquam sibi, ut addere tætet
Carmina carminibus æqua futura tuis.
In quibus & vires atque ornamenta, fidemq;
Et quicquid uates summus haberet, habes.*

GRÆCA LATINIS

esse coniungenda.

A Græcis fons est & origo pfecta loquēdi,
A magno ueluti flumina cūcta mari.

Illinc summorum fluxit prudentia uatum,

Illinc irriguo fonte latina cadunt.

Ergo græca monet rectè iungenda latinis

Tullius, à primis puberibusq; comis.

Viq; uno pariter permixta tenore bibantur,

Alteraq; alterius lingua iuuetur ope.

GVILHELMVS COTVR-

noſſius in Clypeū Hefiodi verſum,

à Ioanne Ramo.

T Rūca uidēs Italū ferri ſua ſcripta per orbē,
Omnia nec Latio carmine uerſa legi.

Aſcræus gemuit uates: Et quid iuuat, inquit,

Sic mea truncato corpore ſcripta rapi?

Progenies ſuperum, & fratri quæ ſcripta colono,

Auſonios olim uerſa iniere pedes.

Alcidæ Clypeus Cygnæaq; bella ſuperſunt,

Gloria quæ noſtri prima laboris erant.

Omnia uel Latium leuat aut intacta relinquat.



Sensim.



L O V A N I I,
Ex officina Reyneri Velpij Diestensis
Typo. Iurati.

An. M. D. LIII.
Men. Mar.